

THESES PHILOSOPHICÆ,

Q U A S

CLANICII IN ÆDE D. VIRGINI ANNUNTIATÆ SACRA

ANNO MDCCXLIX MENSE AUGUSTO, DIE

PUBLICE DEFENDENDAS SUSCEPERUNT

R.R. F.F. CASTUS GRUESS, ANGELUS POBER, & DONATUS SAMLEN,

ORD. MINOR. STRICT. OBSERV. PROFESSI, ET PHILOSOPHI ABSOLUTI

P R Ä S I D E
P. F. A B U N D O P I L P A C H,

EJUSDEM SACRI ORDINIS ACTUALI PHILOSOPHIÆ LECTORE.

I. Philosophiam, quæ est *Divinarum, humanarumque rerum, tum initiorum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia*, de novo apud nos acquifitam censeimus, II. Eamque in Logicam, Metaphysicam, Ethicam, atque Physicam rite partimur: III. Harum prima scientia simpliciter Theoretica pro objerto adæquato attributionis respicit Syllogismum ut sic: nec immerito in perceptivam, judicativam, discursivam, & methodicam dividitur, eo ordine, quo distinctæ quatuor mentis operationes subordinatae sunt; IV. Primæ, seu simplici mentis perceptione five complexa ea sit, five incompleta, falsitas nulla tribui potest, sed, si quæ intercedat, iudicio subsequenti adscribitur. V. Veritas, & falsitas formaliter non sunt ipsi actus intellectus, sed consistunt in relatione conformitatis, aut diformitatis actus cum objecro. VI. Certissima inventiæ veritatis instrumenta sunt artefacta Logica, five tres modi sciendi; VII. Directorium verò, & omnium primum principium in genere demonstrationis redarguitivæ est illud metaphysicum: *Impossible est &c.* VIII. Judicium, quod ideas, seu perceptions præsupponit, non componitur ex iisdem; sed est simplex mentis actus in annuto, vel abnuto consistens. IX. Porro ideas omnes adventitias, aut factitias dicimus, & eas rerum spiritualium, atque abstractarum, quas *innatas* vocant, frustaneas judicamus. X. Eadem numero propositio contingens de præsenti indeterminatam temporis partem significans potest successive transire de vera in falso, vel econtra. XI. Intellectus præmissis rite dispositis assentiens necessitatür tam quoad speciem, quam quoad exercitum ad assentientium conclusioni. XII. Actus scientiæ cum actu opinionis, aut fidei de eodem objecto simul, & semel in eodem intellectu de nulla potentia consistere potest. XIII. Ens ut sic, perfecte ab inferioribus præscindens, respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis univocum defendimus. XIV. Possibilitatem Logicam creaturæ formaliter habent ex se; principiatiæ vero ab intellectu Divino. XV. Essentiæ rerum creatarum, reipſa universales, habent unitatem formalem tum in statu essentiæ, cum existentiæ: XVI. Et licet metaphysice necessariæ, immutabiles, & æternæ sint; nullum tamen esse reale actuale ab æterno præferunt. XVII. Subsistentiæ creata nil est positivum, sed consistit in pura negatione dupli actualis, & aptitudinalis communicationis tam *ut quo*, quam *ut quod*. XVIII. Inter gradus metaphysicos datur distinctio, ex natura rei formulis, ab Auctore suo *Scotistica* dicta. XIX. Etsi materia respectu formæ, & hæc respectu materiæ veram causalitatem exerceat; ut unitæ tamen non habent veram rationem causæ respectu totius compositi. XX. Nec in eodem, nec in diverso genere causæ secundum eandem rationem sese mutuo cauare possunt: nec causa immediata, & efficiens agere in distans: nec de aliqua potentia idem numero effectus in sensu composito à duabus causis totalibus non subordinatis eisdem generis, & ordinis produci. XXI. Datur in creatis potentia obedientialis tum activa, tum passiva; non tamen cuiuslibet ad quodlibet; unde etiam virtus creatrix creaturæ prorsus repugnat. XXII. Mens humana, cuius existentia evidenter demonstratur, est substantia per se existens, forma informans, pure spiritualis, & immortalis. XXIII. Hæc tunc solum à Summo rerum Opifice creaturæ, & humano corpusculo infunditur; dum hoc ad vitales operations obeundas jam perfecte dispositum est: errores vero Tertulliani, Apollinaris, Originis, & aliorum à tot Conciliis, & Patribus damnatos, pariter contemnimus. XXIV. Quamvis *Modus* teste D. Aug. lib. 21. de Civ. Dei c. 10. quo corporibus adherent spiritus - - omnino mirus fit, nec comprehendendi ab homine posse, fidei tamen, & fænæ rationi conformius in hypothesi influxus physici per veram utriusque à se mutuam dependentiam exponi posse arbitramur; ac proinde systema utrumque Cl. Malebranchii, & Leibnitii ut absurdum rejicimus. XXV. Anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ejus: cumque pro statu conjunctionis in operationibus suis à corpore dependeat, eam partem cerebri, quæ *callosa* appellatur, eidem pro principali fede assignamus; in ea quippe testibus Anatomicis nervi ex toto corpore concurrunt. XXVI. Voluntas Regina potentiarum est essentialiter libera; proinde XXVII. Etsi in operationibus suis à præcognitione intellectus tamquam à conditione *sine qua non* ita dependeat, ut ad actus inefficaces cognitionem apprehensam objecti, & ad actus efficaces iudicium practicum intellectus prærequirat, adhuc tamen semetipsam libere ad operandum determinat. XXVIII. Physica corpus naturale quæ tale suum veluti objectum adæquatum contemplatur, ejusque existentiam natu-

rali ratione contra Immaterialistas demonstrat. XXIX. Etiam si corporis nomine intelligamus substantiam extensam, impenetrabilem, & reliquis affectionibus generalibus præditam: ejus tamen rationem formalem præ reliquis corporum attributis in entitativa extensione collocamus. XXX. Principia corporis physici sunt materia, & forma, ex quarum priore tamquam parte determinabili; ex altera vero tamquam determinativa intrinsecus essentialiter componitur. XXXI. Quod si mechanice consideretur, nec quatuor vulgaria elementa: nec quinque chimica pro primariis corporis principiis agnoscit possunt, sed XXXII. Principia ejusdem, seu partes integrales sunt exilissima quædam corporū, seu moleculæ; variam habentes texturam, figuram, & motum. XXXIII. Existentia accidentium absolutorum in Ss. Eucharistiae Sacramento ex Conciliis Constantiensi, & Tridentino probabilius deducitur, ut adeo horum dicta cum Recentiorum loquendi modo non satis conciliari posse videantur. XXXIV. Actu nec vacuum coacervatum, nec disseminatum datur, nec naturaliter dari potest, utrumque tamen virtute Divina possibile dicimus. XXXV. Mundus hic inanimatus ab æterno non extitit, nec ex fortuito atomorum concursu coaluit, ut somniārunt Democritus, & Epicurus, sed in tempore, & probabilius verno, è nihilo sui eductus est in ea perfectione, ut tamen plures tum substantialiter, tum accidentaliter perfectiores sint possibles. XXXVI. Systemata, quibus compago totius universi explicatur, tria numerantur: Ptolomaicum plura continens absurdia rejicimus: Copernicanum ob literalem Scripturæ sensum, cui aperte adversatur, Tychonico posthabemus; quamvis illud Astronomiæ, & Physicæ legibus, tum naturæ simplicitati apprime consonum videatur. XXXVII. Substantia foliis fluida, & formaliter ignea est, cuius maculae sunt fuliginosi quidem vapores, & exhalationes ex solaris Oceani æstuario erumpentes, & circa solem nubium instar condensari solitæ. XXXVIII. Luna, & quinque minores Planetæ corpora opaca, aspera, & globosa sunt; quare alieno, & à sole mutuato fulgent lumine, ac hos incolis suis esse prævisos inter figmenta reponimus. XXXIX. Stellæ fixæ sunt totidem soles proprio gaudentes lumine: scintillatio earum oritur tum ex irrequieto vaporum motu, tum ex agitatione aëris, tum denique ex ipsarum motu vertiginis circa proprium axem. XL. Cometas sydera errantia, Mundo coæva, Planetarium instar solidæ, & obscura, certa, constantique lege orbitas suas elypticas describentia dicimus, ideoque cuncta eorum præfagia, ut aniles fabulas reficiimus. XLI. Cunctis vero astris omnem influxum alium per occultas qualitates præter lumen, & calorem in hæc sublunaria negantes, Astrologiam judicariam, quæ influxum aërescopium, & genethliacum afferit, ut vanam, & superstitionem Chaldæorum imposturam à Ss. Literis, Ecclesia, & PP. damnatam abjecimus. XLII. Dari in rerum natura materiam aliquam electricam ex effluviis, seu exhalationibus electricis constitutam, sensu, & ratione certum est; veram tamen, atque certainam phænomenorum electricitatis causam nemo in hunc diem inventit; XLIII. Sed neque hypothesis Magneticæ virtutis, quam R. R. à profluviis substantialibus ab alterutro polo erumpentibus, & per polos Magnetis transversibus oriri arbitrantur, omnibus omnino difficultatibus caret. XLIV. Fontium omnium, & fluminum origo potissimum ab ipso mari est repetenda; licet & quosdam fontes temporaneos ex aqua pluviali, aut condensatis circa montium latera vaporibus oriri, alias item perennes augeri non dissitemur. XLV. Nullum vivens pluribus nec simul, nec successive, est donatum animabus: sed una duntaxat virtualiter operations aliarum continentis. XLVI. Præter formam substancialem, qua composita animata in esse viventis constituantur, datur & alia forma substancialis, nempe corporeitatis. XLVII. Bruta non sunt mera automata adeo, ut eorum anima in pura elementorum combinacione, subtili flammula, aut denique in flore sanguinis consisteret; XLVIII. Neque plantæ, quæ omnes ex semine specifico nascuntur, pro intrinseco principio, quo augmententur &c. ipsum mechanismum habent; XLIX. Non secus etiam infecta, cunctaque alia animantia ex ovis fecundatis excutiuntur, adeo, ut putredo nihil conferat, quam fomentum, & calorem. L. Tot tandem, tamque mirabilium operum Auctoris non modo existentiam contra Atheos, sed & unitatem ejus contra Polytheos naturali ratione demonstratam propugnamus. Cui fit

O. H. L. G.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

6 1 2 8 7

CIVICUS IN DUC D'ALBREY VINCINTA ENSA

ANNO DUCIS D'ALBREY VINCINTA ENSA

SCULPTOR ETATIOLIUS AGUSTINUS

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

6 1 2 8 7

0300.25907

